

Dat. et. act. Erfordie in monasterio, vbi et Rever. in chrsto. pater et dom. nost. pat. Matheus, abbas mon. Seti. Jacobi Ratisp. pater abbas, visitator et corrector noster, suum exercuit officium, a. d. M^o.CCC^o.LXXXIV^o. ind. VII^a vices. primadie mens. Jan. pont. etc. Urbani ppe. VIⁱ a. VI^o present. hon. et diser. viris Dom. Wilhelmo abbate Norimberg. ord. seti. Bened. Bamburg. dyoec. Ulrico Rorsteter, Joh. Schutz de Lengfuelt, Frid. Goldener, Ratisp. dyoec. Hartwico de Northus, presb Hartungo de Erfordia, Conrado de Appoldia cler. Magunt. dyoec. test. etc. Diese Erklärung siegeln die Schottenäbte Matheus von Regensburg, Wilhelm von Nürnberg, Patricius und sein Convent von Erfurt. 192.

Notariatsinstrument i. Schottenarchiv zu Regensburg.

(Fortsetzung folgt im nächsten Hefte.)

Scholae Benedictinae

sive

De Scientiis opera Monachorum Ordinis S. Benedicti auctis, excultis, propagatis et conservatis

Libri Quatuor

a Domino Odone Cambier Monacho Affligeniensis Monasterii
Ordinis ejusd. S. Benedicti.

(Fortsetzung zu Heft I. 1896, S. 59—77.)

Liber Secundus: De Scholarum Monasticarum indole,
moderatoribus rebusque in illis addiscendis.

I. Caput VII. Quales, quamque celebres Benedictinorum Scholae.

Stupenda illa Colossi Rhodii magnitudo nunquam melius aestimata fuit, quam quum iacentis oculos et frontem decempea metiri, et e digitis ingentes statuas conflare licuit. Ita Benedictinarum amplitudinem Scholarum, tum ruina ipsa, tum fragmenta apud varios scriptores sparsa prodere utemque possint. Pauca quidem illa, sed quorum ratio hic habenda; quum lucem aliquam datura sint iis, quae de singulis Coenobiorum Scholis subücientur. Gratia autem esto Joanni Trithemio Abbati undecumque doctissimo, qui perdiligens et assiduus nostrarum rerum vestigator, in literas nonnulla huius generis misit, et simul transmisit ad posteros. Ex illo deinceps et aliis hanc Ordinis consuetudinem, Scholarum celebritatem, et Magistros; ad haec scientiarum genera, Scholarum disciplinam aliasque huius generis exercitationes describere consilium est.

Scholarum
Benedicti-
narum
magnitudo.

De more igitur sic habet:!) Erat his temporibus in Monasteriis nostri ordinis haec consuetudo celeberrima, ut Scholae Monachorum in sin-

Scholae in
singulis
pene Coe-
nobiiis.

1) Trith. Chron. Hirsaug. an. 890.

gulis pene Coenobiis haberentur, quibus non saeculares homines, sed Monachi moribus et eruditione praeficiebantur nominatissimi. Et alio loco: ¹⁾ Talis eo tempore consuetudo in Ordine nostro servabatur, ut Monachi pro pleniori eruditione consequenda, si qui viderentur idonei, ad diversa Monasteria instruendi mitterentur. Prolixius haec enarrat Paulus Langius Monachus Bozaviensis eidem Trithemio fere coaevus, in Chronico Citizensi ²⁾ in haec verba: Priscis temporibus, utpote Caroli Magni et Ottonum, dum Ordo noster Ecclesiam Dei mirum in modum doctrina et sanctimonia illustraret, studium sapientiae permaxime in eo viguit. Et haec unica fuit et maxima causa, quod Monachi eligebantur in Episcopos. Tunc equidem Literarum Gymnasia erant in Coenobiis, et pottissimum in celebratoribus Archisteriis, Fuldensi videlicet, Hirsfeldensi, Corbeiensi, Weisburgensi, Prumensi, Tuicensi, Gemlacensi, Hirsaugiensi et Treverensi: tacendo de Italiae, Hispaniae, Galliae ceterarumque provinciarum, praecipua Casinensi, et Cluniacensi, Floriacensi, et similibus florentissimis Coenobiis, in quibus Monachi et Abbates claruere, in omni scibili doctissimi, qui et multa praeclara ad utilitatem legentium, et fidei defensionem carmine et prosa edididerunt opuscula, quae usque in praesens exstant. et existabant in salutem per saecula credentium.

Praecipuae
studiorum
arces.

Nusquam enim eo tempore per Germaniam instituta literarum fuerunt Gymnasia, imo et aliquot post saeculis Academiae vel (ut aiunt) Universitatis nomen illustre in omni pene Occidentis imperio incompertum fuerat. Praeter enim Romanum vetustissimum, et Parisiense tunc novum, utpote Caroli Magni iussu, opitulamine et auctoritate, per nostros doctores Monachos fundatum, nullum in historiis aliud universale legimus extitisse studium. Proinde Reges et Principes ceterique nobiles ad discendum Dei timorem cum literis, liberos suos Monachis intra claustra tradiderunt instituendos. Quorum plerique manentes sub Regula, disciplinae Magisterio in viros creverunt sanctissimos; alii per parentes revocati, moderatores reipublicae strenui et prudentissimi facti sunt. Sic Langius. Domesticos scriptores missos facio, externos huius moris laudatores producere non gravabor.

Omni doctrinarum genere Christiana pubes ibi formabatur.

Claudius sane Espencaeus doctor Theologus Parisiensis ita scribit: ³⁾ Illud constat, Monasteria fuisse bonorum morum, bonarumque omne genus, sed sacrarum imprimis literarum Scholas et *ακητήρια*, hoc est meditatoria: Ut pessimo publico quidam hodierna vere tempestate semel haec eversa malint, quam ad originem reversa: quibus tamen debeamus quid-

¹⁾ Ibid. an. 952. — ²⁾ Lang. in Chron. Citiz. pag. 763. — ³⁾ Espen. digress. lib. 3, c. 12.

quid usquam ex tanta barbariae vastitate bonorum librorum superest. Erant, inquam, erant Coenobia collegia, in quibus orationi lectio, lectioni succedebat oratio, ut est alicubi apud Hieronymum, ac proin Episcoporum seminaria. Haec Espencaeus, alio plane sensu, quam novatores, qui virtutem e Monasteriis proscribere soliti, ut solis literis locum faciant. At vero Christophorus Browerus cuius erudito calamo Fuldense Monasterium imprimis illustratum est, ita Scholarum Benedictinarum meminit: ¹⁾ Quod divinae sapientiae proceres habuerunt operae, ut florentissimis doctrinarum studiis, et propriis quibusdam ingenii luminibus, religionem Christianam apud rudos illustrarent, apud discipulos in honorem adducerent, ac denique adversus gentilium et haereticorum proterviam defenderent; id acceptum a maioribus posterumunus, cum alias semper excoluere, tum apparatione quoque singulari ingeniorum resuscitarent, postquam S. Benedicti proles in Germania, Galliaque, Francorumque imperio, laetiori germine multiplicari, et ad novarum gentium populorumque conversionem efflorescere coepit. Etenim vetus id, et laudatum erat in Ecclesia, ut apud clericos probatae vitae, atque etiam in Monasteriis ludii patefierent, in quibus ad optimos iuventutis erudiendae Magistros pubes Christiana ventitaret, et a teneris, praecepta morum, doctrinae sacrae, ac pietatis imbiberet. Uberius haec ipsa, nec minus floride quam graviter disserit Ludovicus Cresollius his plane verbis: ²⁾ Fuit autem id praesertim consuetum in Coenobiis D. Benedicti, ut publicas haberent Scholas, et illi patres auctoritate et religione venerandi, pulcherrime abs se positam operam esse putabant, si pueritiam omni genere honestatis imbuerent. Itaque nobiles et dynastae reipublicae honore clarissimi, filios suos teneros adhuc, et primula in aetate, ad Monasteria mittebant, ut inter homines pie sancteque sapientes, atque exemplaria vitae instituerentur. Sic Gregorius Magnus, incomparabilis Pontifex, adhuc puer, religiosus senibus indagator solertissimus adhaerebat, ut ait Joannes Diaconus. Sic Placidus natus in pulcherrima familia et vetusta, sic alii prope infiniti, in religiosorum claustris, velut omnium virtutum pandocheis, ad magnum decus adoleverunt.

Accedebant hortatores pulcherrimi operis atque muneris, Imperiorum Domini regesque magni, qui fontes illos beneficentissimae humanitatis, et humanissimae beneficentiae, apertos semper cupiebant. Carolus Magnus, dignus immortalitate princeps, Monasteriorum praesidibus commendat, ut ingenuorum filios aggregent, sibi que socient: et, ut Scholae legentium puerorum fiant:

Saeculares principes Scholis Monasticis faventes.

¹⁾ Brow. Antiq. Fuld. l. 1, c. 9. — ²⁾ Cresol. Mystag. l. 2, c. 3, sect. 3.

Psalmos, notas, cantus, computum, Grammaticam per singula Monasteria, vel Episcopia discant: Ubi etiam tangit illius institutionis finem valde salutarem, ut eorum bona conversatione multi attrahantur ad servitium Dei. Hinc factum, ut furente per omnes pene provincias Marte, silentibusque legibus, et inertia late volitante, castae Musae, Gratiaeque Monasteriorum secreta peterent, et in sinum Religiosorum et tutelam honoratam et praesidium confugerent, quasi propria eorum tantum heroum esset eruditio. Id notavit Beatus Rhenanus¹⁾ in Germania illustranda, qui cum de Francis memorat, neminem ait praeter Monachos rudibus seculis novisse litteras. His autem postremis aetatibus, multas videmus Religiosorum familias divino beneficio excitatas, quae pristinum ad Coenobiorum decus laudemque renovarent. In quibus multi reperiuntur non tincti leviter, sed imbuti literis humanitatis, et copia omnium scientiarum affluentes, qui facinus ducunt illustre, et religioso animo dignissimum, praelucere iuventuti, et digitum velut ad fortes intendere honestatis, et rectissimorum studiorum. De quibus longe verius dicetur, quod in Porphyrio impio homine praedicavit Eunapius,²⁾ esse *ἐραυκᾶς σείρας*, velut quasdam Mercuriales catenas, quibus homines ad Dei cognitionem amoremque tollantur.

II. Caput VIII. Scholae duplices in Coenobiis. Aquisgranensis Synodi Canon explicatus. Cur Scholae in Monasteriis, vel iuxta positae.

Scholae in Monasteriis geminae. Quoniam luce meridiana clarius est, Monachos Benedictinos excolendis puerorum ingeniis operam insignem media aetate contulisse;³⁾ atque hoc nomine celebratas eorum Scholas; iam penitus de iis disserendum mihi video. Fuit igitur moris antiqui, geminas in Monasteriis vulgo Scholas constituere, interiores scilicet seu claustrales, et exteriores sive canonicas. Illas solas frequentabant Monachi; hae omnibus patebant sive clericis sive laicis. Discrimen id exserte videmus expressum, in Monasterio S. Galli, quod florentissimum scientiarum emporium olim dici poterat. Scribit enim doctissimus eiusdem loci Coenobita, Judocus Metzlerus,⁴⁾ intra illius Monasterii ambitum Scholam exstitisse duplicem pro conditione et varietate auditorum, exteriorem in qua magnatum nobiliumque liberi fingebantur, internam, qua severitate maiore cum iuventus ipsa Deo dicata, tum Monachi qua incolae, qua advenae, ad cultum sapientiae efflorescebant: quam certe Scholarum partitionem Eckerhardo S. Galli decano debemus, qui tom. V. Canisiano antiq. lection. in

¹⁾ Rhen. l. 1. rer. Germ. — ²⁾ Eunap. in Porph. — ³⁾ Nicol. le Maistre de inst. ep. l. 4, c. 5. — ⁴⁾ Praefat. ad hort. Walafi tom. 6. ant lect.

B. Notkeri vita, Scholas Claustrī, ubi Monachici habitus pueri instituebantur, distinxit ab exterioribus, quas canonicas ipse nuncupat, quo non invite traxerim illud Rhabani nostri:

Plebsque priora

Fundamenta trahit, in fundo domatis omnis.¹⁾

Jacobus quoque Gretsenus²⁾ ita de duplicibus nostrorum Scholis scripsit: praeerant Scholae (in Monasteriis Benedictinis) doctissimi quique et probatissimi Monachi, hoc tamen discrimine, saltem aliquibus locis duplices essent Scholae, aliae internae Religiosis erudiendis dicatae, aliae externae in quibus seculares procerumque et nobilium instituebantur.

Duplicem porro Sanctgallenses apud Scholam fuisse, docent imprimis veteres eiusdem Coenobii scriptores, a Goldasto in antiquitatibus Alemanicis editi. Ekkehardus iunior, seu quartus lib. de Casib. Monasterii S. Galli cap. I. Traduntur post tempus Marcello Scholae Claustrī cum Notkero postea cognomine Balbulo, et ceteris Monachici habitus pueris: exteriores autem, id est, Canonicae, Isoni cum Salomone et comparibus. Idem Ekkehardus cap. 3. Quod Raptus in Scholis, hoc ipse in Claustro praeter verba omni charitatis egit censura. Et cap. 6. Erant disciplinae loci ut semper et tunc severae, non modo in Claustro, sed et in Scholis externis. Elucet eadem scholarum in Monasteriis distinctio apud alios auctores, et praesertim in Joannis Trithemii Chronico Hirsaugiensi multis locis. De iisdem accipiendus est quoque Theodolphus Aurelianensis³⁾ Episcopus ad presbyteros suos ita scribens: Si quis ex presbyteris voluerit nepotem suum, aut aliquem consanguineum ad Scholam mittere, in Ecclesia S. Crucis, aut in Monasterio S. Aniani, aut S. Benedicti, aut S. Lifardi, aut in ceteris de iis Coenobiis, quae nobis ad regendum concessa sunt, ei licentiam id faciendi concedimus. Observes et Scholam duplicem in Floriacensi Monasterio ex his Aimoini verbis:⁴⁾ Talibus ergo Abbotus parentibus, in Floriacensi Monasterio, Scholae Clericorum, (id est exteriori, seu canonicae) Ecclesiae S. Petri obsequentium traditur literis imbuendus. Huius generis etiam ludum iuventuti aperuit Willelmus I. Reomaensis Abbas XXXII. de quo ista Glaber Rudolphus in eius actis cap. II. a Petro Roverio editis habet: Praeterea cernens vigilantissimus Pater non solum illo in loco, sed

Quarum
plura
exempla.

¹⁾ Lib. de cruc. fig. 5. — ²⁾ Grets. lib. I. de Sanctg. c. 8. — ³⁾ Theod. capitular. c. 19. — ⁴⁾ Aim. in vit. Abb. c. I.

etiam per totam provinciam illam, verum etiam per totam Galliam plebeis maxime, scientiam psallendi ac legendi deficere, et annullari clericis, instituit Scholas sacri ministerii, quibus pro Dei amore assidui instarent fratres huius officii docti: Ubi si quidem gratis largiretur cunctis doctrinae beneficium ad Coenobia sibi commissa fluentibus, nullusque qui ad haec vellet accedere prohiberetur. Haec ibi ex quibus videre est, non in uno tantum Monasterio statutum abs Willelmo fuisse gymnasium, sed in aliis etiam sui¹⁾ iuris Coenobiis. Praefuit enim tum Monasterio S. Benigni Divionensi, rexit item Monasteria Besnense, Gerziacense, et Fiscanense, ut de Reomaensi nihil dicam. Non dubito quin et aliis locis complures ad hunc modum constitutae fuerint Scholae, sed singulis²⁾ illustrandis iam non immeror.³⁾

Non ubique tamen duplex Schola in usu fuit. Nam ecce Synodos Aquisgranensis quae tota Benedictinis Abbatibus constabat, exteriores illas seu canonicas Scholas abrogavit, inter alia statuens: ut Schola in Monasterio non habeatur, nisi eorum qui oblatae sunt.⁴⁾ Cuius quidem Canonis haec doctis viris probatur explicatio, ut nulli pueri vel adolescentuli, claustrales seu interiores Monachorum scholas literarum discendarum causa frequentent, nisi qui a parentibus ad Monasticam profitendam, oblatae fuissent. Nam puerorum alii dicebantur olim Oblati, ad Monachatum scilicet; alii Nutriti, qui studiorum causa in Coenobiis educabantur, quales hoc decreto excluduntur. Factum id ut Monachorum tranquillitati consuleretur, an metu ne per illos rigor sanctitatis enervaretur equidem non habeo dicere. Certe haec ratio Casinensis, teste B. Petro Damiani,⁵⁾ permovisse videtur, ut puerorum Scholas non admiserint. Praeiverat S. Caesarius Episcopus in Regula sic praescribens: Nobilium filii, sive ignobilium ad nutriendum aut ad docendum penitus non accipiantur. Contrarius tamen usus maxime deinceps obtinuit, sed ea fortassis limitatione, quam eruditissimus Chronographes noster Antonius de Yepes hunc canonem exponens suggerit:⁶⁾ Aliud, inquit, est Monasterii Monachos docere, aliud in Monasterio literas docere, et aliis tradere, primum permittitur, alterum prohibetur. Atque ut primum minori negotio conficeretur, Scholae Coenobiis adnectebantur, ad quas quot diebus iterabant rectores et professores; tum ne studiosi cum Monachis miscerentur tum etiam ne per clamores,

1) MS. dat: suis. — 2) MS.: singulas. — 3) MS.: immeror. — 4) Can. 45. — 5) Petr. Dam. ep. 36, c. 16. — 6) Yepes Chron.

et disputationes divinum perturbaretur officium. Juniores vero Monachi Grammaticae in Monasteriis penetralibus operam dabant. Hactenus ille. Benedictus Papa XII. in celebri illa Constitutione quam Benedictinam vocant, vetuit seculares cum Monachis primitivis scientiis in Monasteriis instrui.¹⁾

Postremo si quis ab me petat, quid causae sit, cur Scholas tum puerorum, tum Theologorum, veteres in Episcopis, Monasteriis, et iuxta sacras aedes collocarint; ex oratione Eumenii Rhetoris Galli ad V. P. Praesidem Galliae, sub Constantio Caesare, responsionem accipiet his verbis: Ibi maxime et oportet et fas est exercere iuventutis ingenia, ubi tam propinqua sunt numina amica doctrinae, ubi ex proximo iuvat mens divina sapientiam. Hinc et Bibliothecae apud veteres, vel in ipsis deorum templis, vel vicinis aedibus collocabantur. Tertullianus:²⁾ Hodie apud Serapeum (id est, Serapidis fanum) Ptolemaei Bibliothecae cum ipsis Hebraicis literis exhibentur. Morem hunc non spernendum putarunt Ecclesiae Antistites, atque inter illos S. Paulinus Nolae Episcopus, qui libros in secretariis S. Felicis locavit, et hanc loco adfixit epigraphen:

Scholae
juxta aedes
sacras col-
locandae.

Si quem sancta tenet meditandi in lege voluntas,
Hic poterit residens sacris intendere libris.³⁾

III. Caput IX. Monasticarum Scholarum Magistri describuntur. Lecti et petiti ex aliis Coenobiis.

Illud etiam curae maioribus nostris fuit, ut non quoslibet e Monachorum populo, sed viros morum integritate, et divinarum humanarumque rerum scientia clarissimos, Scholis praeficerent; dici enim non potest, quantum, ut in omni alia, tum hac potissimum re valeat optimorum magistrorum exemplum et institutio. Sunt illi non tantum bonarum artium propolae, sed simul innocentiae custodes simul perfectionis evangelicae satores, quum simplici integroque adolescentulorum pectori, quasi nitidae membranae puraeque tabulae, dictata saluberrima inscribere adnituntur. De his Carolus Magnus in constitutione de Scholis per singula Episcopia et Monasteria instituendis, olim generaliter ita decreverat: Tales ad hoc opus viri eligantur, qui et voluntatem et possibililitatem discendi, et desiderium habeant alios instruendi. Quales vero hi apud Monachos fuerint, non uno loco declarat Spanhemensis Abbas. Scholis non saeculares homines, inquit, sed Monachi moribus et eruditione praeficiebantur nominatissimi: qui non solum in divinis scripturis docti essent,

In Ma-
gistros le-
guntur Mo-
nachi pie-
tate et
doctrina
clarissimi.

¹⁾ Bened. c. 6. — ²⁾ Tertul. Apol. c. 19. — ³⁾ Paul. Epist. 12.

verum etiam in Mathematica, Astronomia, Arithmetica, Geometria, Musica, Rhetorica, Poësi, et in ceteris omnibus saecularis literaturae scientiis eruditissimi haberentur. Ex his multi non solum in Romana lingua docti erant, sed etiam Hebraica, Graeca et Arabica peritissimi, quod ex eorum opusculis facile dinoscitur, quanquam vitio scriptorum qui a primaeva institutione praeceptorum paulatim degenerare coeperunt, pauca exemplaria nostris temporibus emendata reperiantur.

Illustrat haec idem Abbas ¹⁾ alio loco; quem non abs re fuerit hic adtexere: in omnibus nostri Ordinis Coenobiis, in Germania et Gallia maxime, Monachorum Scholastici ex Monachis habebantur, qui iuniores quosque et ingenio praestantes, in primitivis literarum scientiis erudirent, et postea qui habiles inventi fuissent, ad altiora

In solis
maioribus
Coenobiis
constituti.

transmitterent. In solis autem famosioribus Coenobiis, quibus et abundantia rerum temporalium erat copiosior, et Monachorum numerus maior, constituebantur ad officium docendi alios, Monachi omnium doctissimi, et non solum in divinis, sed etiam in saecularibus literis eruditi, ad quos ex inferioris gradus Coenobiis mittebantur Monachi altioribus disciplinis instituendi. Quicumque vero inter eos maioris eruditionis famam in Ordine acquisierat, etiam plures ad se missos discipulos, ad erudiendum Monachos habebat. Inter Monasteria autem hunc morem studiorum habentia, hoc tempore praecipua fuerunt, Monasterium Fuldense, S. Galli, Augiense, Hirsfeldense, nostrum Hirsaugiense, S. Albani Moguntinense, Corbeiense, Prumiense, Mediolacense, S. Dionysii Parisiense, S. Maximini Treverense, Remense, Altisiodorensis, Terronense, Stabulense et Wissenburgense: in quibus omnibus erant Monachi et multi et valde studiosi, e quorum collegio in singulis Coenobiis unus ceteris in scientia scripturarum excellentior Scholasticus ponebatur.

Abbatibus autem qui Monachos habere cupiebant in omni scientia eruditos, ad diversa ex suis quosdam mittebant instituendos. Haec de solis Scholis Claustralibus Trithemius, e quibus varias pulchrasque antiquitates exculpere pronum foret. Illustrat missionis ritum Broverus: ²⁾ in moribus fuit veterum Coenobitarum, antequam Scholae probe coalescerent et copiis doctrinae domesticis abundarent, emittere ac proferre focas magnae indolis ac spei ingenia, quae beatis inde sapientiae fontibus irrigata, in quam plurimos sese rivos et amnes divite cursu provolverent. Quo modo in antiquis monumentis lego de Raltgario Abbate, qui anno DCCCXVII. florere coepit: Rhabanum et Hattonem Turonas in Gallia direxit ad Albinum Magistrum, ut liberales artes addiscerent:

Discipuli e
minoribus
Coenobiis
ad eos missi.

¹⁾ Ibid. an. 952. — ²⁾ Brow. Antiq. Fuld. l. I. c. 14.

Brunonem ad Einhardum, variarum artium peritissimum doctorem: Modestum et Candidum cum aliis ad Clementem Scottum, Grammaticae studendi causa.

Porro ex Trithemio etiam discimus, quemadmodum se Prelati gesserint, quum domi professor egregius ad manum non esset. Ita namque scribit: Quoties autem idoneum ad hanc subeundam provinciam in suo Coenobio Monachum Abbas minime habuisset,¹⁾ de aliquo alio Monasterio petere aptum non erat verecundum; maximum enim dedecus iudicabant, dociles animos Monachorum negligere, quos ut moribus et literis bene instituire possent, nullis laboribus, nullis parcebant impensis. Namque doctissimus ille Gemblacensis Sigebertus, multo tempore in Coenobio S. Vincentii Metensi, Monachorum praeceptor, quanquam de alio Monasterio, fuit. Ita Strabus Monachus Fuldensis in Hirsfeldia, Notgerus S. Galli in Stabulaus, Albinus Monachus Anglicus in Fulda, Milo S. Amandi in Corbeia, atque alii complures in aliis Monasteriis, docendi ad tempus tenuerunt officium, ubi conversionis primordia non sumpserunt. Ita ille.

Professores
ex aliis
Coenobiiis
petiti.

Exempla suppetunt in pluribus Monasteriis. Duo duntaxat adferre non gravabor. Prius refert Aimoinus de S. Abbone Floriacensis Scholae praefecto.²⁾ Interea, inquit, legatio gentis Anglorum, ad Floriacense venit Coenobium, postulans aliquem sibi sapientem concedi virorum. Praeerat per idem tempus S. Floriacensi congregationi Reverendus Pater Oylboldus, qui non tam imperiosa auctoritate, quam mansueta verborum lenitate, ab hoc beato exegit viro Abbone, quatenus ad instituendas eiusdem nationis hominum mentes, divina atque humana sapientia, qua ipse insigniter pollebat, ire non recusaret. Subiicit deinde magnifico itineris apparatu, navigatione in Angliam, et Schola in Ramesciensi Coenobio constituta, in qua duorum fere annorum spatio Monachos erudierit, Sanctorum Episcoporum Oswaldi et Dunstani amicitia clarus. Alterum de Ison Sangallensi Coenobita recitat his verbis Ekkehardus iunior.³⁾ Puer natus, (Iso)educatus, S. Galli fit Monachus doctissimus, docuitque ut in gestis eius iam scripsimus, Salomonem cum ceteris quam plurimis. Sed Hart⁴⁾ noster, Rudolpho Burgondiorum Regi notissimus, cum Magistrum aliquem nostratium Grandinallensium Coenobio peteret, ipsum illum Regi ad annos tres a Grimaldo Abbate expetiit,

Exempla
afferuntur
S. Abbo

Et Iso
Sangallensis.

¹⁾ Ibid. an. 890. — ²⁾ Aimoin. in vita s. Abb. c. 4 et 5. — ³⁾ Lib. de eass. S. Galli c. 2. — ⁴⁾ MS. sic; forte Hartmondus.

condicto in manus pacto, uti ter in anno sumptibus sibi Regis Monasterii sui daretur invisere claustrum. Ibi vas illud Spiritus Sancti cum devenisset, provinciis diffamatum et regnis, S. Galli dulcissima suffecerat pocula. Et post pauca relatis viri Dei miraculis, haec subiicit Ekkehardus: Anhelabant ad illius doctrinam totius Burgondiae, nec non et Galliae ingenia. Erant et aliqui, qui inter suos satis haberent, si discipuli Isonis vel ad horam discerentur, etiamsi ad filios eius non acuerentur. Erat enim de illo late fama, quoniam etsi obtusa inveniret ingenia, ipse eis daret acumina. Libuit tandem et ipsum vel propter grates consuetudines discipulorum vel propter alminam dandam ad mensam, ut post tres annos regi concessos, aliorum annorum moras sibimet ab Abbate suo per se ipsum expeteret. Mansit itaque in benigna peregrina sua per plures tandem annos, ratisque sibi temporibus, Claustrum suum, Abbatem et fratres visitans, benedictione illorum roboratus, discipulos iterum aegre expectatus revisit. Haec de Magistro Isona, ex quo solo omnes discas.

Illum etiam morem Scholarchis nostris placuisse Scholarchae nostrae sese invisunt. comperior, ut alter alterum, hauriendae maioris scientiae gratia, invisere non duceret in glorium. Sic Windichinus vir alias doctus Meginradum Hirsaugiae Gymnasiarcham adivit, de quo haec Trithemius: Diethmarus Abbas, scientiae utilitatem sciens¹⁾ scripturarum, Monachos suos summo adnisi in omni doctrina literaria erudire statuit: et ob id Magistrum eis doctissimum Meginradum Monachum Scholasticum praefecit: ad cuius eruditionis famam Windichinus, Monachus et Scholasticus Monasterii Corbeiensis in Saxonia, excitatus, videre, audire et alloqui tantum virum desiderasse se dicit: quem et vidit, et supra quam dicere potuit, admiratus fuit.²⁾ Uberius ista alibi idem Trithemius memoriae prodidit. Windichinus,³⁾ inquit, multis annis in Monasterio Corbeiensi Scholae Monachorum publicae praefuit, et complures discipulos post se doctissimos reliquit, ex quibus multi ad Episcopatus et Abbatias diversas postea fuerunt assumpti. Hic etiam in eo libello, quem scripsit de studiis veterum, fatetur se fama Meginradi Scholastici et Monachorum S. Aurelii incitatum venisse ad Hirsaugiam, et cum eis diebus multis habuisse colloquium, tantumque ibi vidisse studium et fervorem Monachorum ad scientiam scripturarum,

1) MS. dat: scientiae. — 2) Trith. ubi supra. — 3) Ann. 954.

tanquam doctissimos reperisse viros, ut satis nequierit admirari; ipsum Meginradum Scholasticum praecipuis laudibus effert dicens eum esse alterum Hieronymum, et nulli veterum eruditione inferiorem.

IV. Caput X. Scholarum moderatores honorati.

Quum tales ac tanti in omni scientiarum genere essent nostrarum Scholarum praefecti, non mirum si magno apud omnes in pretio semper habiti sint: nam virtutis et eruditionis praemium honor est. Nec ipsi discipuli Magistros alio patrum loco habere solent. Gregorius sane Nazianzenus¹⁾ non dubitavit appellare professores eloquentiae communes patres bene dicendi; nec Seneca asseverare metuit, eo plura praeceptoribus a discipulis, quam parentibus a liberis deberi, quo excellentius quiddam est bene vivere. Eadem mente et dixisse ferunt Alexandrum Magnum, se plus Aristoteli praeceptoribus debere, quam Philippo patri, ab hoc enim se habere corpus, ab illo mentem. Quam religiose autem Benedictinos professores discipuli vel alii coluerint et observarint, ex iis quae referam aliquousque constabit.

Magistri
patrum
loco habiti.

Notkerus Balbulus S. Galli Monachus et Scholae Magister emeritus, ab Ottone Imperatore non vulgare devoti cultus signum accepit, de quo vitae Author Ekkehardus minimus hoc conscripsit: Post Laudes finitas Otto rex magnus neminem, nisi quem Abbas velit, secum claustrum ingredi edixit.²⁾ Postea decano et aliis primoribus ad oscula vocatis, ille dulcis nepos suus Notkerus Balbulus ubi esset, an adhuc viveret, interrogat. Nam ille iam tunc aetate grandaevus, et caligabant oculi eius, et videre non poterat. Loco autem suo in sedili sedens solitarii tacens monstratus est Regi. Jubet ergo filio, ut ipse sibi adduceret illum, qui mox iussa hilariter complens, osculatum eum ad patrem manu duxerat benignum. At pater apprehensum virum Sanctum et ipse gaudens osculatus est eum, et sub chlamyde adstrictum multum consolatus est illum, dansque ei manum secum duxit in Claustrum. O me, ait Notkerus, felicissimum orbem, qui tantos, quantos nullus unquam coecus meruit, hodie habeo ductores. In Claustro autem residens Imperator, iuxta se locaverat virum beatum. Ibi eum etiam Episcopi et Abbates, laici quoque et alii iuniores, quibus saepe profuit, salutabant. Cum multa aedificationum verba haberent ad invicem, benedixit vir sanctus Imperatorem, iussitque eum deduci rex in locum suum. Haec de doctissimo Notkero Ekkehardus.

Notker
Balbulus
quo datus
honore

¹⁾ Naz. ep. III. — ²⁾ Vit. Notk. c. 31.

Et alter
S. Galli
Magister.

Sed audi quid idem author de altero Magistro referat. Agente Imperatore Chuonrado Pascha apud Moguntinam civitatem, S. Galli Monacho Scholas inibi regente, et procurante etiam Cantoris officium, ut solitum est in medio choro imponens crebro coronatus et infulatus adornatusque pretiosissimis indumentis. Cumque manum ille ad modulos sequentiae pingendos rite levasset, tres Episcopi hominis quondam discipuli, Imperatori suo in throno proximi: Ibimus, aiunt, Domine rex, et Magistrum in eo, quod ipse nos docuit, iuvabimus. Illo hoc gratum fore dicente, descendentes vestiti pontificalibus, sociantur S. Galli Monacho, inclinantes inclinatio, opus Dei, quod docuit reverenter, cum eo perficiunt.

Magistri
vel in
Synodis et
Conciliis
inter Patres
sedent.

Observo et hos Magistros in Synodis et Conciliis tanquam doctores residere et sententiam dicere solitos. Datum id ipsorum meritis et singulari doctrinae. Quantum vero ingredientibus honor a Patribus delatus sit, in Ekkehardo minore, quem Palatinum vocarunt, apparuit. Praefuerat ille binis S. Galli Scholis, tanto quidem Germaniae bono, ut ex eius disciplina plures acceperit Episcopos. Is igitur Maguntiae in Generali Concilio cum concessum adveniens intrasset, sex ei quondam discipuli tunc Episcopi assurrexerant, et Magistrum salutabant, inquit antiquus scriptor.¹⁾ Et Wilegisus Archiepiscopus (Moguntinus) digito accitum osculatus; digne filii mi, ait, et tu quandoque cum talibus inthronizaberis. Cuius pedes cum peteret, manum eum delicate erexerat.

Ubique a
discipulis
observati.

Rerhaldus vero eiusdem professionis et animi maioris homo, imperiosus cum discipulo Episcopo egisse visus est. Nam cum is iussu Othonis Caesaris cum aliis Episcopis et Abbatibus ad visitandum S. Galli Coenobium venisset, a Magistro repressus, in eius venerationem raptus est. Rem Ekkehardus his verbis ad posteros transmisit:²⁾ Dictricus vero Metensis Episcopus, adolescens, Rerhaldi nuper in loco discipulus, Regulae librum manu gerens apertum, quum Magistrum suo loco stantem transiens praeteriret, his ille velut discipulum silentio hominem invehitur: Tunc librum, ait, contra me infers, quem ego clausum quam tu apertum melius novi? Claude illum. At iuvenis voce Magistri coloratus inclinans, librum ocuis clausit, et residens iuxta se reposuit. Sed illud quam gloriosum, quod ipse summus orbis Pontifex, Magistro suo illum honorem habuit, quem ante se ne-

¹⁾ Ekkeh. de Cass. mon. S. Galli c. 10. — ²⁾ Ibid. c. 11.

mini? Alexander enim III. veniente ad se Beato Lanfranco assurrexisse fertur et dixisse: non ideo assurrexi ei, quia Archiepiscopus Cantuariae est; sed quia Becci ad Scholam eius fui, et ad pedes eius cum aliis auditor consedi. Ita Milo Crispinus in vita B. Lanfranci,¹⁾ quam eius operibus a se recensitis praemisit ac notis illustravit R. P. Lucas Dacherius, non uno nomine mihi memorandus. Eandem historiam scriptores alii dignam annalibus censuerunt, et inter alios Eadmerus, quem loquentem dabo: Statuto die, inquit,²⁾ Pater Lanfrancus, Apostolicae Sedis Pontifici Alexandro praesentatur; cui, quod Romanam scientibus consuetudinem, forte mirum videatur, ipse Papa ad se intranti assurgens, eum, ut gressum figeret, dulciter hortatus est; ac deinde subdens, honorem, inquit, exhibuimus non quem Archiepiscopatu tuo, sed quem Magistro (cuius studio sumus in illis, quae scimus, imbuti) debuimus; hinc quod ad te pertinet, ob reverentiam S. Petri te exequi par est. Sic Eadmerus. Non poterat altius professorium munus extolli, quam ut ab illo cultum venerationemque acciperet, qui mortales omnes dignitate et potestate supereminet.

B. Lanfrancus a Summo Pontifice uti Magister veneratus.

Et sane dubium non est, quia volupe Magistris sit gratae mentis studium in discipulis notare. Ita licet multo maxima Tertullianus B. Cypriano praestiterit, Basilius Gregorio Nysseno, tamen incredibiliter iucundum esse debuit Magno Basilio se nominari *πατέρα καὶ διδάσκαλον*, patrem ac Magistrum, fuissetque honoris fere divini Tertulliano appellari a Cypriano Magistrum, ut Socrati gloriosissimum fuit a Platone in Dialogis tertio quoque verbo sic nominari. Marcus Aurelius Imperator tantum honoris Magistris detulit, ut imagines eorum aureas in locario habuerit, et sepulchra additis hostiis, et floribus semper ornaverit.³⁾ Sed augustius nobilisque id Ratperto Sangallensi Magistro praestitere discipuli De quo iuverit audire Ekkehardum iuniorem ita scribentem:⁴⁾ Ratpertus vero et ipse sanctus circa Claustrum S. Galli quum languidus iret, nec tamen docere desineret, quadraginta discipulis quondam suis, Canonicis tunc quidem presbyteris, loco propter festum advenientibus, animam singulis in manibus commisit: quorum quisque ei triginta missas obituro promiserat. Sicque ille laetissimus Deum, uti se diutius morbo coqueret, rogans, panis nitidus factus, inter discipulorum manus in Para-

Quam gratum Magistris discipulorum in eos studium.

¹⁾ Cap. 11. — ²⁾ Ead. hist. lib. I. — ³⁾ Capitol. in M. Aurel. — ⁴⁾ Ekkeh. de Cass. cap. 3.

disum, ut credimus, transiit. En flores non marcescentes, sed immortalitatis honore semper novos atque gratissimos: en hostias, non caesorum pecorum nidore graveolentes, sed immaculatas, incruentas, amabo, quae sacrificia sancta in odorem suavissimum Domino! Quae gloria, exsultatio Magistri, in tanta venerabilium Presbyterorum corona animam agere, et piacularibus sacrificiis probe viaticum decedere! Nec ingratum fuit Aleuino Abbati, a Carolo Magno filiis tribus comitato manumque eius stringente has voces audire: ¹⁾ Domine Magister, quem de his filiis meis videtur tibi in isto honore, habere me successorem? Quid vero sensisse dicemus Rhabanum Maurum quum a Lupo Ferrariae Abbate his verbis in epistolae initio salutaretur: Reverendissimo Patri, eximioque Praeceptorum Rhabano, Lupus salutem. Non potui hactenus gratias vobis agere, tamen quantas affectu habuerim, occultorum Cognitor semper inspexit. En dignum tanto doctore discipulum.

V. Caput XI. Magistri Scholarum lecti in Episcopos et Abbates.

Neque sic stetit observantia discipulorum in Magistros, aliorum in ipsos favor. Nam quum magno auditorum applausu et fructu literas sacras pariter et profanas exponerent, e bono multorum fore visum est, si tantae virtutis et doctrinae viris, Ecclesiae et Coenobia regenda traderentur. Observavit hoc inter alios doctissimus Theologus Claudius Espenceus, ²⁾ ita scribens: Equidem nihil prohibet, quin Monachos ad aemulationem velut adducturus, supputem quos in ea historia (Hirsaugiensi) offenderim publicis Scholis praefectos Monachos, omni bonarum literarum suppellectile praeditos. Fuerunt autem post Bedam Monachum et presbyterum, praeclari huius instituti auctorem, publici artium et linguarum in Monasteriis, Trithemio ibi recensente, professores eximii: ac praefuerunt Hirsaugienses plerique antequam Abbates, ut Scholarum moderatio fuerit quidam quasi gradus ad Abbatiarum praefecturas, Haderadus, Liuthelmus, Meginradus, Albinus eiusdem Bedae discipulus; Monachus item Anglicus; et huius auditor Rhabanus Fuldensis, et ibidem Strabus; Sangallensis Notgerus, Hartmondus; Corbeiensis in Saxonia Rembertus, Milo, Vindichinus, Othericus, Algerus, Bernardus; Moguntiae apud S. Albanum Adelbero et Adelgerus; Bobiensis Adelbertus, Sigebertus Gemblaco ad S. Vincentium Metensem evocatus; Remigii Altisiodorensis et Mediolacensis; Reinardus apud S. Petrum Senonensem; Everbinus Dolerensis Trevirorum; Lanfrancus Cadomensis, publicus

Scholarum
Magistri in
Antistites
leguntur.

¹⁾ Trith. Vita B. Aleuin. — ²⁾ Espenc. digress. 1. 3, c. 12.

antea Gallis Italisque professor. Haec Espencaeus, quae ex Trithemio aliisque latius probare non erit molestum.

De Rhabano Mauro sic inter alia scribit Browerus: ¹⁾ Cum publico Fuldae docendi fungens munere explicaret itidem immensi ingenii sui divitias, facile vicinorum non solum, sed et remotiorum in tanto Gymnasii splendore, ad se studia atque ora convertit; ut concursus etiam audiendi causa ad eum ex tota Germania Galliaque fierent. Tradidere proinde merito ipsius pectori sapientiae divinae ac virtutis refertissimo, ornamenta sua pariter et gubernacula, primum Fuldensis congregatio, atque deinde Ecclesia Moguntiacensis; quod utrumque munus Abbas et Archiepiscopus, immortalis nominis sui gloria praeclare sustentavit.

Fulgent
inter Epi-
scopos B.
Rhabanus

Sic B. Lanfrancus ex Magistro Scholae Beccensis Monasterii, Abbas Cadomensis, atque inde Cantuariensis Archiepiscopus creatur, ut auctor est Milo Crispinus in vita, et Trithemius, ex quo deinceps pluscula dabimus. De S. Reinberto sive Remberto ita in Hirsaugiensi Chronico commemorat: Claruit his temporibus Reinbertus ex Monacho Corbeiensis Coenobii in Saxonia Archiepiscopus Bremensis, vir in divinis scripturis et saecularibus literis doctissimus, qui Scholae Monachorum publicae multis annis in praefato Monasterio gloriose docendo praefuit. Rexit autem Ecclesiam Bremensem annis novem, et moriens in Catalogum Sanctorum relatus est.

Sic B. Lan-
francus

Et S.
Rembertus.

Ruthardus vero, qui primus in Hirsaugiensi Monasterio divinas iuxta profanasque literas, more Fuldensium, docere coepit, altioris sapientiae succo plenus, oblatas infulas magno animo contempsit. Meginfridi veteris Chronographi verbis id refert Spanhemensis ²⁾ Abbas: Ruthardus in omni scientia et sanctitate conspicuus, tantae fuit eruditionis et probitatis, ut quum Ludovicus Imperator eum post mortem Haimonis Episcopi vellet in locum eius Halverstatensis Ecclesiae ordinare pontificem, consentire noluit, dicens notabile verbum: Da Episcopatum alteri, qui sit idoneus; ego quietem vitae regularis, et studium scripturarum, omnibus divitiis et honoribus mundi incomparabiliter duxi praeferendum.

Ruthardus
Hirs. obla-
tas episco-
pales infu-
las renuit.

Fuit et alter Ruthardus Monachus Corbeiensis, vir studiosus et doctus, quippe qui multo tempore Scholae Monasticae in Corbeia publicae praefuit, et eruditos post se discipulos reliquit. Hic primum Corbeiensis, deinde Hirsfeldensis Abbas creatus est. Harderadus sic ab eodem celebratur anno

Sed inter
Abbatess
alter ille
Ruthardus
Corbeiensis
claruit.

¹⁾ Brow. antiq. Fuld. I. I. c. 13. — ²⁾ Ad an. 868.

Domini DCCCLXXXIX: moritur Richbodo Monachus huius Monasterii, qui Scholae publicae apud S. Aurelium post Ruthardum Magistrum annis ferme XXIV praefuit, et in omni scientia discipulos probe instructos complures reliquit. Post quem Haderadus Monachus, natione Francus, docendi officium accepit, quod vix biennio implens in Abbatem assumptus est.

Item Walafridus Strabus, seu Strabo, S. Galli Monachus, Rhabani Mauri discipulus, inde apud Fuldenses in professorio munere successor, post haec divitis Augiae Abbas, immatura morte sublatus e vivis, abs Magistro tunc Archiepiscopo Moguntino Epitaphium hocce tulit: ¹⁾

Noscere quisque velit, tumulo hoc quis conditus exstet,
Perlegat hunc titulum, omnia sicque sciet.

Ergo Walahfredus tumulatus sorte quiescit,
Presbyter et Monachus ingenio hic validus.

Abbas Coenobii huius, custosque fidelis,
Hic fuerat caute dogmata sacra legens.

Nam docuit multos metrorum iure peritus,
Dictavit versus, prosa facundus erat.

Invitans instanter oves ad pascua Regis,
Distribuit dulcem Fratribus ore salem.

Moribus ipse probus, virtutum exempla reliquit,
Discipulis pastor, plebis et almus amor.

Mors fera sed iuvenem hunc rapuit, damnumque ferebat
Multis, sed Christus hunc tulit ad superos.

Adelbero Hirsaugiensis. Anno DCCCCX. Adelbero Monachus Coenobii Hirsaugiensis, discipulus Luithelmi, Scholasticus factus est in Monasterio S. Albani prope Moguntiam, ²⁾ ubi magna tunc multitudo vigit Monachorum; quos quum gloriose in omni scientia scripturarum tam saecularium quam divinarum instrueret, magnam eruditionis suae famam apud omnes in circuitu homines acquisivit, qui post paucos annos per Archiepiscopum Herigerum, Abbas S. Ferucii factus est. Adalbertus ex Monacho Bobiensi nostri ordinis Abbas Gemblacensis, ³⁾ quum adhuc Monachus esset in praefato Coenobio Bobiensi publicam Monachorum Scholam tenuit. S. Odo antequam Cluniaci Abbas institueretur, ibidem Scholae moderator fuit, ut auctor est Joannes Monachus in vita. Idem refert Aimoinus de S. Abbone Floriacensi Abbate in vita cap. 3.

Adalbertus
Bobiensis.

S. Odo Cluniaci.
et S. Abbo Floriac.

¹⁾ Rhaban. Epitaph. 10. — ²⁾ Trith. ad an. 910. — ³⁾ Ad an. 989.

Quin et illud observatu dignum, nonnullis hanc professionem ita placuisse, ut etiam ad praefecturam Monasterii eveci, doctoris simul et antistitis munus recte curarent. Sic Rhabanus creatus Fuldensium Archimandrita, alios sacris literis instruebat, ut author est Rhodolphus¹⁾ in eius vita. Remigius quoque Abbas Mediolacensis, in scripturis divinis studiosissimus, et in secularibus literis egregie doctus, publicam in suo Coenobio Scholam Monachorum tenuit, in qua non solum suos subditos, sed etiam ex diversis aliis Coenobiis Monachos ad se missos erudit. Sed nec Lupus Ferrariensis Abbas indecorum censuit Monachos docere, quod idem fecisse Peginhardum Abbatem, ex utriusque epistolis colligimus. Sic et Reinhardus, Abbas Monasterii Senonensis S. Petri Apostoli,²⁾ vir doctus et religiosissimus, Monachos regulari tramite instruens, ad pristinae conversationis fervorem reduxit. Scholam etiam Monachorum publicam tenuit, et Monachos suos in omnibus literis et scientiis tam secularibus quam divinis, ad plenum erudit.

Plures cum munere antistitis magistri junxere.

Atque de his Magistris honoratis ut opinor, satis Committere tamen nequeo quin de Ekkehardo Palatino, ut vocabant, haec adiciam. Vir fuit eruditus et acutus, Latinae Graecaeque linguae (quod illo seculo perrarum in Germania) gnarus. Praefuit primum Scholae utriusque Monasterii S. Galli, et cum magna quidem laude. Demum in Othonum aulas, invitus licet, satagente Hadwiga Sueviae Duce, cuius ille praeceptor fuerat, concessit. Quo ubi pervenit, illico a Caesare in Senatum legitur, eique fit a consiliis secretis, Capellanus, et Othonis iunioris paedagogus. Sed haec aliaque Ekkehardi verbis audire libitum est:³⁾ Assumptus est interea in aulam Ottonum patris et filii, Hadewiga agente, Ekkehardus, ut Cappellae semper immanens, doctrinae adolescentis Regis, necnon et summis dexter esset consiliis; ibique in brevi tantus apparuit, ut in ore omnium esset, summum eum aliquem exspectare pontificatum. Nam et Adelheida regina illum, nunc sancta, per se diligebat; cumque ei ita aliquamdiu agenti Abbatiae Eliwangensi quasi ad exspectandum, ut aiebant, offerretur a regibus et ipse eam suscipere ingratus non esset, regina cum duce, quoniam adhuc aulae prae omnibus esset necessarius, fortunam distulerant, usque illum Episcopio magno donarent. Haec decora, quibus Scholarum Benedictinarum rectores prior aetas ornandos censuit.

Magistri ad maiores sedes imprimis vocabantur.

(Continuatur in fasc. seq.)

1) Ad an. 1000. — 2) Ad an. 1011. — 3) Ekkehard. de Cass. cap. 11.